



DE MINIMIS ET PROPINQVIS.

LIBER VNVS.



VM duarum falsarum opinio-
num, quibus mortales maxi-
mè infelices sunt, altera sit in
æstimatione boni, altera ma-
gnitudinis illius: propterea de
ambabus dicere propositum est: atque eò qui-
dem, vt ostendam, ad vtrumque non parùm
conferre scientiam somniorum. Dico autem
homines in duobus maximè falli. Primum
est, quòd putant felicitatem nostram in ma-
gnis bonis repositam esse, vtpote longissima
vita, opulentia, potentia, eximiis honoribus.
Falluntur igitur bifariam in hoc vno, &
quòd in eis felicitatem esse credant, cum nil
minus: & quòd hæc maxima bona esse existi-
ment. Quod enim ad primum attinet, nil ab-
surdius. Diu si viuas, senex fies, quomodo er-
go beatus? Si honoribus fruaris, maximè oc-
cupaberis: vt Siccus cum non posset ferre ma-
gistratum) erat enim prætor capitalium om-
nium iudiciorum) pila luderet perpetuò, ami-
sit magistratum, alioqui vir sagax & cautus:
sed de hoc sequenti libro. At nunc id agi-
mus, non esse quæ diximus magna: quia nihil
magnum ex bonis apud mortales, duntaxat
excepta virtute. Quomodo igitur hæc, quæ
dixi, bona magna erunt? Hoc verò errore
quantum emergit mali? dum enim opes, po-
tentiam, gloriam adepti, magnum aliquid
possidere se existimant, impij primum eua-
dunt, Deumque contemnunt, aut illius qui
minus mali sunt obliuiscuntur: inde crude-
les, ambitiosi, auari, cæteros mortales nihil
esse putant, & in omnia flagitia erumpunt,
obliui Dei beneficiorumque illius, tum virtu-
tis humanitatisque, quæ cum aliis homini-
bus necessariò coniuncti sunt: nec non fortis
humanæ: ita vnus vxorem alterius palàm, ac
quasi per vim corrumpit: alter sæuo, non se-
uero iudicio filium patri eripit: alius premit
pauperem indignè, imò vniuersum genus
quotidie, & illorum pignora omnia sibi lice-
re putat: quidam agellos aut domos auferunt:
alij ita se luxu perdunt, vt velis nolisse, fateri
cogaris, his certè beneficium fortunæ exitio
esse. At reliquis, quos diximus, nonne præsta-
ret carere illis bonis, etiam si maxima essent,
quàm tantis vitis animi laborare, adeoque
orbi & humano generi exitiales esse, atque
funestas?

At dico, illa non esse magna bona, cum
nihil hominibus magnum sit, præsertim bo-
num: breuitas temporis, conditio fragilis,
exitus diuersi, inconstantia maxima, tum doce-

re possunt. Sed quod ad id sequitur, quod cre-
dunt, id prorsus declarat nihil huiusmodi
adesse mortalibus. Hi enim sic ratiocinantur:
Si maxima sunt quæ habemus, opes magnæ,
potentia, bona valetudo, voluptates eximiæ,
& hæc breui comparantur, vtpote toto de-
cennio videmus commutari fortunam, neces-
se est initia magna esse. Et paruo enim in bre-
ui tempore magnum euadere nihil potest:
quod quidem demonstrat argumentum: at-
que ob id ego sic conuerto: sed omnia initia
videmus esse exigua: ergo bona omnia mor-
taliū parua admodum sunt & non maxima.
Ita sanè me docuit Dialectica mea. Etenim
initia quæcumque esse exigua, adeò clarum
est, vt probatione haud indigeat: & ignis qui
maximus inter omnia statim euadit, etiam
initia habet exigua: licet breue sit tempus
initij, vt etiam reliqua. Verum nihil simile
est inter mortalia: scintilla enim ignis mo-
mento horæ, si totus orbis pyrius esset puluis,
quantuscumque esset orbis, ipse conflagraret.
Sed si & huius parua semper sunt initia, ita &
magis aliarum quarumcumque rerum. Nec
ergo omittere parua decet, cum nec minima
oporteat. Vt enim qui ignem accensurus est,
non frumenti acervos, aut enses prægrandes,
aut pecuniarum cumulos, aut magna quænis
vel nobilia vel preciosa colligere debet, sed
modicum scintillum, ac cumulum vilis stipu-
læ & lignorum: ita in rebus humanis non
magna aut preciosa captare oportet, sed ini-
tia & alimenta illius boni quod parare in ani-
mo est, quoque indiges. At minima esse ini-
tia etiam maximarum rerum, adeò palàm est,
vt nulla historia huiusmodi exemplis careat.
Etenim Romuli ortus & educatio qualis: quæ
etsi fabulosam esse contendas, certum est ta-
men exigua fuisse illius primordia: ciuitatem
è fugitiuis coactam, & pastoribus, millies
potuisse abrumpi eius incrementa: atque ex
minimis occasionibus seruatum, atque resti-
tutam. Nouissimè ex negligentia & avaritia
decem aureorum nonne totus orbis conflag-
rauit incendiis, rapinis, tumultibus, præliis,
suppliciiis sæuissimis? Quid maius in humanis
cum diuina etiam sit, Populificia dignitate? Et
quàm exiguis discrimibus vnus vel alter ei
succedat? Ita parùm ante hæc tempora, & no-
stra memoria simile miraculū in Ægypti Re-
gibus videre licuit. Quid de victoriis bellicis,
aut seditionibus, quibus causis aut oriuntur
aut extinguantur? Nostra eadem ætas vidit,
quàm paruo discrimine atque leui occasione

in hanc stirpem translatum fuerit Gallorum regnum, cum tres certant.

Sed omniramus externa: nullum mihi maius meipso exemplum admiratione dignum occurrit. Qui cum aliquando fortuito in campo Iouis occurrens Principi, vitam felicissimam in miserissimam transmouit: quodque magis admirabile: ille faciendo me perdidit, Senatus parum beneuolus obitendo si perstitisset seruasset: neque filium amissem optimum, ac crudelissimè: ut nisi Dei Opt. Max. præsidium memoriam excuteret, ea me concuteret. Inde auctoritas, lucrum amicitia, omnia pessum iere. Nouissimè etiam stipendij parte quam Princeps superaddiderat, spoliarunt: ita ea parua causa tantum momenti attulit ad perditionem rerum mearum, ut contra ediri libri de Utilitate capienda ex aduersis, conscriptum Theonoston, commentaria in Hippocratis Aphorismos, libri de Somniis, de Natura, Paralipomenon, Neronis encomium, torque alia, non solum suppeditante temporis copia maiore, sed ut rædium depellerem. Itaque nemo est qui non videat etiam in seipso, similia exempla, tamen non adeò euidencia. Quid cum deliberauit? paululum enim abfuit ne non reciperem: neque enim me latebat, magnum mihi malum imminere. Verùm par periculum existimauit, seu reciperem conditionem, seu respuerem.

Cum igitur somniorum prædictio in ins vocetur tribus ex causis: quòd de minimis sit: quòd de incertis: & si certa sint, quòd prodesse nequeant cognita, ut inuitabilia: his duobus quòd responsum fuisset in opere ipso, par fuit ut huic primæ calumniæ responderem. Nam somnia si sint de paruis, sunt de rerum initiis, ex quibus tota rerum series atque exitus pendet. At si non de initiis, erunt certè de magnis: quapropter illorum obseruatio vitæ mortalium utilissima erit.

Sed video quid dicatur sis. Primum forsam illud, non omnibus sunt tam exigua initia, sed hæc solum sunt fortuitorum. Qui enim è prædiorum redditibus viuunt, non tam tenui filo pendent. Stultum etiam fermè videtur, aut saltem leue, tam infidæ coniecturæ omnia nostra committere, vitam propriam ac filiorum, tum opes atque honores. Quid opus esset prudentia, si somniorum monitis parere debemus? Omitto subtiliores argumentationes, qualis illa est: Vel ipsa conueniunt cum prudentia, & sic sola prudentia opus habemus: vel dissident: & sic, si prudentiæ credere volumus superflua est eiusmodi cognitio: vel somniis, tum vide quid sequatur: quo ducere reges res tuas prudentia relicta? Numerantur ut in votis deorum, non qui perire, qui multi sunt, sed qui seruari, qui pauci sunt: sic in somniorum prædictionibus. At nos, ut aliàs etiam diximus, non negamus hominem oportere gnauiter se gerere: hæc verò non tantum fundamenta fortunæ nostræ atque existimationis statuere, sed solum tanquam auxilia. In quacunq; tamen fortuna superuenierint, multum iuuant. Et nonnunquam splendori aut miseriæ superueniunt, nonnunquam verò etiam tales efficiunt. Multi enim neglecta futurorum cognitione, ex magnis

statibus corruere. Cæsar si somnium vxoris obseruasset, si Spuriæ prædictionem, superuixisset: cum multis diuersa ratione hæc obseruatio fortunam perpererit, & ex humili conditione ad maximam potestatem eue-xerit.

Porro huiusmodi viro-rum exempla in ipsa narratione retulimus. Reliquum est, ut quæcunque de somniorum obseruatione dixerim, non de illis solum intelligas, sed etiam de tota humana prudentia: ut exemplo præcepti Hippocratis discas, nihil negligere. Est cuique sua felicitas, atque calamitas etiam, si non euertatur ex propria dignitate. Et quanquam diuersa videatur fortuna hominum omnium, tamen (ut dixi) exigua est: nec quicquam splendidum, præter virtutem: in reliquis sat est, ut non in extrema decidat. Sutor cum dulcem sobolem alere potest, ut nil ei desit, cum domuncula & officina bene munita, felix est. R. x verò orbis, & victus in prælio, infelix. Non est omnium commutatio sortis suæ per somnia: quanquam aliquibus contingat, ut ex humillima fortuna ad clarissimam euehantur: aliis contra, ut ex clarissima decidant ad humillimam. Et quanquam non omnibus per somnia hæc eueniant, omnibus tamen hæc obseruatio conducit: omnibus etiam, quicquam aduentitium est, & excellens, extra nostram prudentiam & communes labores positum est: sicut è diuerso, quod nos ex alto fastigio in profundum demergit. Neque credas hæc quæ tanti nos æstimamus, tanta esse ut remur. Sicut homo è puluere sit, & in pulucrem redigitur, sic & maxima ex minimis ortum ducunt: & cum tempus venerit, seu in ipsismet, seu filiis, nepotibus aut aliis posteris, in eadem minima redeunt.

Quòd verò fidendum sit huiusmodi cognitioni, haud dubium est, si rectè omnia peragantur. Primum: quoniam si esse non deberent, non præuiderentur ab ipsis viris immortalibus: deinde, quòd omnis ars est rerum verarum qualiscunque sit, artifices tamen decipiuntur. At, & si aliquando decipimur, quænam est ars in qua non aberremus? Militaris, medicina, nautica, longè frequentioribus scætant erroribus, maioribusque ac periculosis: quis tamen malit nauigare sine nauta, exercitum nulla ratione ducere magis quàm cum perito imperatore? agrum non omnino curare, quàm erudito committere medico? Quid etiam in musica, in fabrili, suroria, nonne quotidie errores contingunt? quænam est ars illa, quæ errorem non admittit, qualiscunque sit? vidi homines qui solacissimum in Geometria committebant. Sed neque velim hominem à solita prudentia aberrare Confusus somnio, profitendi munus renunciaui, quòd scitem coacturos: at ita tamen renunciaui, ut multa haberem prætinibus maioris spei, non tamen aded commoda. Aderat certa causa repudiandi, tamen si omnia malè celsissent: iniuria, summa avaricia, respectus nullus, neque modus seu ætatis seu paupertatis, seu quod nulli alij negotio vacarem, multaque alia quæ etiam lubam illum patientissimum ad iram prouocare possent.

Non ergo soli somnio confusus hoc egi, sed prudentia naturali comitante. Sed quid acturus fuisset, si somnium defuisset? Ferre forsitan melius erat, & maiorem opportunitatem quaerere. Soleo enim dicere, quinque rebus malam frangi fortunam: induciis ac dilatione) nam maiora facilius ac celerius dissoluantur paruis, quod ex pluribus concreta sint, & etiam tempus dum inchoatas res ac paruas auget, magnas & adultas corrumpit & detruit: vel repente inuadendo: vel sensim comminuendo aduersarij vires, dum carptim illum aggredimur, aut ea parte qua minus valet (vt fultum fauoribus, virtute, doctrinaque) superando fauores illius nonnunquam reddemus inuitiles: quanquam nunc ea conditio temporum sit, vt quam minimum virtuti seu eruditioni tribuatur. Vel si auxilia detraxerimus: quod prudenter à patricio quodam nostro excogitatum, non parum profuit: cum enim fororij exulis opibus oppugnaretur, reducto exule inimicum spoliavit praesidio, & alium etiam hostem sulcavit dum ille expensas pecunias repetit. Palam est igitur, omnibus in casibus praesagiendo recte ex fomis, paruis viribus occurrere posse magnis etiam hostibus.

Cæterum latus heptagoni paulo maius est dimidio lateris trigoni eidem circulo inscripti, cum ambo fuerint æquilateri: nam latus heptagoni est partium ferme LII, minutiarum LIII, & secundarum xxxv, at verò dimidium lateris trigoni est partium LI, minutiarum LVII, secundarum xlii, discrimen igitur horum est, minutiarum vi, secundarum minutiarum LIII, hoc autem est minus quingentesima trigesima parte dimidij lateris trigoni, quare omnino insensibile.

Quadratum quod sit ex secunda linea proportionem media inter diametrum circuli & latus quadrati in circulo descripti, paulo maius est area circuli: nam si demetiens circuli est septem, circuli area erit paulo minor triginta octo cum dimidio: latus igitur erit ferme sex, & ex quadraginta nouem partibus decem: at secunda illa linea erit latus solidi cccxlii $\frac{21}{22}$ ferme: at hoc est quasi sex & $\frac{21}{22}$ igitur differentia hæc est ex ccciiii partibus, vna tantum: & ideo etiam ipsa insensibilis. Quidam verò longas rationes de hoc scribere, existimantes etiam idem esse, cum non sit: atque etiam falsò demonstrasse hæc ita se habere, cum nil sit turpius.

Latus præterea figuræ quadraginta basium triplum, lateri ferme figuræ centum viginti basium, & sexquilaterum, quasi figuræ sexaginta basium: nam latus figuræ sexaginta basium, ferme duplum est lateri figuræ centum viginti basium. Et similiter latus figuræ triginta basium, propè quadruplum est lateri eidem figuræ, scilicet centum & viginti basium: & latus figuræ vigintiquatuor basium, eidem penè quintuplum. Latus quoque figuræ nouem basium, & latus figuræ viginti basium, ferme iuncta æquantur lateri hexagoni in eodem circulo inscripti. Et latus figuræ vndecim basium, & pentagoni, efficiant latus ferme trigoni æquilateri mul-

taque talia huiusmodi inuenire licet.

Similiter & in numeris, vbi cœperis primos, scilicet vnum & duo, erunt in proportionem habente medium & duo extrema ferme, & semper productum minoris in coniunctum erit vnitate minus quadrato medij, & sic in perpetuum ratio incrementi illius seruabitur, vt vnum duo tria, & duo tria & quinque, & tria quinque & octo, & quinque octo & tredecim: & sic deinceps in infinitum, iungendo duos semper vitimos. Proportio quoque reflexa duplicata est ferme inter hos numeros, & valde propè, cxxliii, cxxliii, Lxxiii. Et ita cum voueris mediam proportionem inuenire inter $\frac{x}{x+1}$ & $\frac{vii}{x+1}$ exempli gratia, iunges superiores semper simul, & inferiores similiter, & habebis $\frac{xvii}{x+1}$. Et si propior sit maiori quam oporteat, iunges minori: vt in exemplo addam $\frac{xvii}{x+1}$ cum $\frac{vii}{x+1}$ & habebo $\frac{xxv}{x+1}$ & rursus repetam, donec oportebit: nunquam enim hoc modo poterit euadere minor $\frac{vii}{x+1}$ minore, nec maior $\frac{x}{x+1}$ maiore. Poteris etiam addendo vnitatem semper augere: vt $\frac{vii}{x+1}$ addita vnitate superius & inferius, fiunt $\frac{viii}{x+1}$: quod est $\frac{1}{x+1}$ semper enim ad minores numeros reducere debes, si potes: & ita detracta vnitate, semper reddes minorem proportionem: vt $\frac{vii}{x+1}$ & rursus $\frac{v}{x+1}$ & $\frac{1}{x+1}$, quod est medietas.

Et in Musica ditonus à sexquiquarta differt sexquidagesima tantum, & semiditonus à sexquiquinta eadem sexquidagesima: & similiter interuallum sex vocum à proportionem quinque ad tria, & octo ad quinque, vt in Musicis abundè declaratum est.

Eodem modo supposita cœli æternitate, idem sola indiuidua superficies ab Æthere mortali disiungitur: ita mortale ab immortali tam paruo discrimine seiunctum est. Nec est quoddam dicant, Æthera maximo annorum spatio perdurare: nam quotquot annis perduret, infinito spatio temporis tam distat ab immortalibus, quam etiam ephemerum: hæc enim sunt commenta & figmenta, imaginæque imperitorum, qui vanam speciem rerum solum cognoscunt, & à sensibus propriis decipiuntur: itaque tam paruo discrimine mortale ab immortali seiungitur. Quod si tam paruo discrimine mortalia ab immortalibus seiunguntur, quanto magis mortalia ipsa inter se: species quidem metallorum, lapidum, plantarum, atque huiusmodi: Hæc igitur ita se habent.

Quæ verò ad actiones ipsas nostras pertinent, eodem modo minimis differentiis, & magis quam naturalia constant: quod volubilitate opinionis variant. Diximus aliàs (quod & verissimum est, licet vanum videatur) vendiciones obolo, quantumvis maximas, irritas fieri posse. At nunc si quis animaduertat, quam parvis occasionibus multa malè aut benè cedant, satis miretur. Paulo seriùs aut tempestiuùs à prandio, ante prandium occurris in via: in foro, multa cum negotia habeas, modò omnia ritè peraguntur, modò nihil: quantum momentum est rem sic vel sic inchoasse. Damnatur iniussè Valentinia

lentinianus imperator ab Ammiano Marcellino, quod tot peremerit crudeliter: quoniam de successore magicis artibus quaesuerunt. At non animaduertit, Valentiniano fuisse filium Gratianum: qui si non fuisset, puto Valentinianum vix grauius laturum hanc curiositatem: at modò successore filio ista quaesuisse, quis non videt hoc crimen fuisse apertum læsæ maiestatis, atque omnino impium? Simili ergo ratione singula quæque, quàm exiguus discriminibus sunt impia, licita, fœda, honesta, felicia, infelicia, iusta, iniustaque? Quamobrem si quis totam naturâ vitam huiusmodi minimis animaduersionibus, casibus, opportunitatibus, euentibus constare dicat, is sanè non solum vera dicet, sed etiam pro conditione sua temporis locique, beatè & sine reprehensione viuere poterit. Quid ergò huic rationi commodius est prudentia primum, inde scientia somniorum? At nunc tota sapientia humana tribus constat præceptis: verbis pulchris, factis pessimis, & opinione probitatis ab initio per simulatam iustitiam comparata. Verùm non diu hi mores stare poterunt, & vel seipsam hæc fera conficiet: vel iratis superis dabunt pœnas: at prudentia prouidentiaque perpetuè ac sine impietate stare poterunt. Nec tamen tantùm scire prodest, sed & vti oportunitate decet. Tria autem sunt in hac præcipua auxilia: continentia, promptitudo & fortitudo: his si destituamur, valedicere possumus prudentiæ atque prouidentia.

Quin etiam multis sua bona exitio fuere: arma M. Antonio, facundia Ciceroni: Philosophia Socrati, Pasiphysio, Simonidi (primus enim cicutam hausit, secundus gladio periit, tertius flammis absumptus est) poësis Gallo & Nasoni, medicina Petroleoni nostræ fermè ætatis viro erudito, astrologia Ascleptarioni. Quid est tam sanctum, quod si sinistrè vtaris, non noceat? Ego sanè ni somniis monitus essem manifestissimis, in hac tam ingrata calamitate peribam, cum odium, potentium ira, me premerent, mihi nullus amicus relictus esset. Miraris lector? mirum non est, reputanti temporum conditionem, hominum mores. Multi amicos se habere putant, quod volunt eos qui non sunt esse. Deinde quod fieri non possit, vt Deo & hominibus placeam: & his moribus arcesso procul has lamias. Itaque nil mirum esse debet, eum qui recta colat, hoc tempore nullum habere amicum. Sunt mala hæc, sed maiora fuere sub Repub. Romana, sub Caligula, Vitellio, Domitiano, Commodò, Caracalla, Valentiniano. Qui vult aduersa ferre placidè, historias legat: difficile est superare maiores nostros scelere atque crudelitate: sed longè difficilior æquare virtutibus. Sed ista extra aleam.

Illud ergo dicendum: minima esse omnium bonorum atque malorum initia: eaque plerunque in nostra esse potestate. Quod si ita est, quanta commoda asserere potest scientia somniorum? Peccamus tamen maximè, cum peccare non posse confidimus. Pauci peccant volentes: & si peccauerint, cautius saltem peccant. Et si non tam cautè, saltem ob magnas solum causas, atque ideo rariùs. At vbi peccare non timemus, sæpiùs peccamus & incautè, & nullam ob causam. Quoties verbum incon-

sultè prolatum enertit hominem? nemo est cui hoc sæpiùs non contigerit. At vel hoc solo monitu, quod in periculo verferis, consultiùs ages. Quàm cautè, quàm consideratè respondent homines interrogati de eriminibus capitalibus, etiamsi simplices natura fuerint? Et nisi essent tormenta, tormentorumque metus, nemo aberraret. Vnde causa? nisi quod imminere sibi periculum animaduertunt. Duobus in casibus pauca solemus commemorare exempla: vel cum rarè contingunt talia, vel cum infinitò quotidie, vt hac in re. Ergo præmonitus hæc deuitabis: aut si vitare non poteris, malo statim occures. Principiis obsta, dici solet.

At dices forsitan: Felices isti aliam viam compendiosorem atque faciliorem ad beatam vitâ inuenere: dolum, iniustitiam, fœnus, furta, sinistrum vsum conuentionum, scilicet per fraudes: ac demum etiam vim ipsam. Fateor: sed in his tria sunt maxima incommoda, atque adeò graua, vt sic esse felices haud præster: Dei offensa: atque cum ea facti conscientia, quæ hominem stimulat, agit, torquet, nõnunquam etiam vsque ad desperationem agit: inde molestia ipsa facti, cum & inimicos sibi pariant, & cum inimicis pericula & lites & infamiam: & quod maius esse omnibus, ipso premuntur exemplo: nam & à filiis & ab hæredibus vrgentur: scientibus his quomodo eas opes parauerint, & quàm inuisi sint superis. Itaque vbi vnus est tyrannus, necesse est plures esse tyrannos. Et filij nisi vi ac metu contineantur, eadem in partes parant, quæ boni in hostes: nec multum interest, seu veneno, seu dolo mortifero, aut vi, aut pernicacia (quod frequentissimum est) patrem adigant ad mortem, seu patruum. O quot vidi sic preceptos, sine periculo legis: sed non minus certo exitio, & duriore morte. Tertium incommodum, quod omnibus maius est, est ipse viuendi modus, qui etiam sine ira Deum, ac dolo propinquorum, seipsam ita aggrauant, dum ab omnibus cauere coguntur, dum periculis vndique circumueniuntur, dum maiora metuant, instantia admirantur: dum in perpetuis litibus, suspitionibus, contentionibusque vitam funestam agunt. Vita hominum per se molesta est, etiamsi nullis externis afficiatur incommodis: at sic ærumnosior est vita ferarum, etiam ægrarum: illæ enim multa patiuntur, multis sunt periculis exposita: at saltem nec incommoda, quandiu permansura sint, intelligunt, nec periculum vitæ norunt, nec inuident aliis quæ nil tale patiuntur: omnium ergo viuentium miserrima est hæc vita improborum: hocque solo beata, quod multos existimant sibi inuidere. At prouidentia futurorum eadem præbet, & multo plura quàm scelera: nam & in tuenda valetudine, cauendis insidiis, erudiendo filios, longè melior est improba illa vita, & grata Diis, minusque anxiosa, nos illis similes reddit.

Sed redeo ad institutum lunaris motus, atque aspectus ad Solem: eam fermè obseruat rationem, vt addito vno numero annorum Christi, & toto diuiso per vnum de viginti, quodque relinquitur per vndecim ducto, ac per triginta diuiso, residuo si addas numerum mensium à Martio inchoando residuum ad

triginta est numerus dierum coniunctionis luminarium, ad quadraginta quinque autem oppositionis. Quod si numerum dierum à coniunctione per quatuor duxeris, per nouemque diuiseris, habebis numerum signorum distantia: luna à Sole, partiumque signi. Sol autem die decima Martij ingreditur Arietem, & post mensem propè ingreditur Taurum, atque deinceps per reliqua signiferi decem initia diuisionum.

Angulos diuides prope æqualitatem in quotquot volueris partes, diuidendo primò per æqualia, donèc fiant acutissimi: deinde produces latera æqualiter vnus partis, & basim in tot æquas partes diuides: ductisque ab angulo ad basim partes lineis, habebis angulum diuisum vt voles: inde idem de singulis faciendo, atque iungendo iuxta numerum diuisionem, perficies intentum: & hoc est quod Carolus Bouillus voluit: sed credit exactam esse.

Neque recta quæ in tabula delineantur recta est, neque circulus circino descriptus exactus est circulus. Proportio verò periferiæ ad dimetientem, minor est quàm $xxii$ ad vii , & maior quàm $ccxxiii$ ad $lxxi$.

Cùm è puncto lineæ ad perpendicularum lineam extendere volueris; hoc quod ad vnguem facere contingit: puncto alio quouis accepto hinc inde secundum distantiam propositi puncti, deduces periferarium portiones, quæ se secabunt in medio punctorum propositorum: inde duces ex aduerso puncto rectam per punctum communis sectionis circulorum ultra tantundem extendendo, & ex extremo illo ad punctum datum recta ducta ad perpendicularum eidem insister.

Oui figuram sic describes, ex Durerio datam: lineam in decem æquas partes diuides, inde ex puncto medio secundum quantitatem duarum partium circulum describes, cuius periferiam in octo æquas partes ex lineæ terminis diuides: rursus altrinsecus ex totius lineæ extremis distantia septem partium portiones circulorum describes, tangentes in linea ipsa circuli descripti periferiam, quæ se in aduersis secabunt punctis: duces etiam lineam contingentem circulum in puncto è regione occursum illarum partionum, recta intellecta ex sectione ad sectionem: altrinsecus ergo in punctis sectionum circuli constituto circini immobili pede, atque alio ad punctum aduersum occursum contingentis ad portiones circulorum, portiones rursus quatuor, duas ex superiori lineæ parte, & duas ex inferiore describes, quæ similiter sibi occurrent è directo primarum, sed inferius.

Rursus diuisa parte rectæ inter locum contactus, & secundum concursum per æqualia, & medio puncto tanquam centro facto, describes secundum quantitatem breuioris lineæ

ex eo puncto ad portiones circulorum vltimo ductas, portionem vnã circuli quæ inferius cadet, & sub puncto secundæ sectionis, oualemque explebis figuram: hæc tamen apud illu errata sūt, seu illius seu typographi vitio.

Spiralem lineam quotquot volueris circunvolutionibus describere: & sit, vt gratia exempli velim tribus reuolutionibus: describam circulum satis magnum, & filum annectam, aut mobilem virgulam æneam; iuxta semidiametri quantitatem: inde diuidam circulum in duodecim partes æquales: & quia volo tres reuolutiones, diuidam filum aut virgulam in triginta sex æquas partes: & si vellem quatuor, quod esset difficilius, assumerem quadruplum numeri diuisionis circuli, id est quadraginta octo: inde sensim ducto filo ad primam partem circuli è regione primæ diuisionis à centro numeratæ, & in eadem distantia à centro signabis punctum primum: & cum peruenit filum seu virgula ad secundam sectionem circuli è regione secundæ diuisionis in virgula, & secundum quantitatem distantia puncti in virgula à centro, signabis secundum punctum: & ita procedes perpetuo, donec omnes reuolutiones & puncta virgulæ quæ simul perficientur, absoluantur. Vltimus enim punctus virgulæ perfectis integris reuolutionibus, ad circuli periferiam terminabitur. Huiusmodi sexcenta inuenire licet. Velut, volo latus figuræ tredecim basium: diuido latus quadrati in tres partes æquales: & si volero latus figuræ decemseptem basium, diuidam idem per quatuor.

Quantum verò possint minima, ostendunt præparaciones ciborum, paulo magis cocta, aut minus salsa, insipida, ingrata vehementer, medico interuallo quàm iucunda: vestes, calcei, omniaque humana: lecti, equi, ignis, aqua, minimis variationibus delectant, aut molestia nos afficiunt. Idem in pactis, in conuentionibus in itineribus, in pugna, præliis, curatione morborum. Quot in itineribus breui mora inciderunt in latrones? quot alij ob eandem vitauere periculum? vidi hominem, qui ob modicum gelu prolapsus interiiit. Anno præterito stisia glaciæ occidit puerum. Simile exemplum apud Martialem legitur. Quid hoc nos docet? nil aliud, quàm nostra omnia momentanea esse: vitam ipsam perexiguam: & quantumvis proluxa videatur, breuissimam esse: vnde & rectè viuere, & contemnere aduersa, & non discruciaci secundis rebus aliorum, & minima quæque obseruare, & nihil negligere: & quæ naturaliter nobis ad providentiam offeruntur, considerare decet atque oportet. Istiusmodi cùm cogitaueris, & tranquillius & honestius viues: intelligesque nec Regibus, nec Principibus quicquam tam iucundum esse, quàm est sapientia.